

III. *Veritas subiective spectata admittit gradus.*

Prob. 1. *Quoad gradus essentialis*: Gradus essentialis veritatis subiectivae est in diverso modo, quo veritas logica est in singulis actibus mentis specie diversis i. e. in simplici apprehensione et iudicio sive ratiocinio. *Atqui* veritas logica in simplici apprehensione non inest nisi imperfecta i. e. solum subiective; in iudicio autem et ratiocinio est perfecta i. e. subiective et obiective. Ergo sunt gradus essentialis veritatis subiectivae.

2. *Quoad gradus accidentales*: Gradus accidentales sunt in diversa firmitate actuum cognoscendi eiusdem speciei.

*Atqui* a) motiva possunt plura esse vel firmiora; b) perceptio motivorum potest esse plus minus clara; c) lumen intellectus potest esse maius vel minus, sive plus minus dispositum; d) voluntas potest ratione dignitatis, utilitatis, necessitatis alicuius veritatis mentis assensum augere, ut praesertim fit in fide; „quod volumus, credimus libenter“ (Caesar). Ergo et veritas subiectiva gradus admittit.

*Obi.*: 1. Veritas in apprehensione et in iudicio est formalis utraque; dist.: veritas essentialis — conc., accidentalis — nego.

*Atqui* veritas in iudicio perfectior est; dist.: accidentaliter, i. e. quoad statum ratione actus et materiae — conc., essentialiter vel formaliter — nego.

Ergo etiam veritas formalis gradus admittit; dist.: ut in minori.

2. Veritas opponitur falsitati; dist.: contrarie — conc., contradictorie subd.: quoad obiectum formale — conc., quoad obiectum materiale et actum — nego.

Ergo quo plus aliqua veritas recedit a falsitate, eo maior erit; dist.: quoad obiectum formale — nego suppositum; quoad obiectum materiale — conc.

*Thesis VII: Falsitas et formaliter et obiective et subiective spectata admittit gradus.*

*St. qu.* Falsitas est *positiva* difformitas mentis et obiecti; unde *formaliter* spectata est vel in negatione qualitatis obiecto tribuendae, vel in affirmatione qualitatis obiecto negandae. Haec falsitas formalis in *solo iudicio affirmativo* admittit gradus, quia contrarie veritati opponitur; negativum autem contradictorie potius veritati opponitur, e. g. Deus existit et Deus non existit. — Falsitas *obiective* sumpta est ipsa qualitas obiecto immerito vel tributa vel negata, falsitas *subiective* sumpta est maior vel minor tendentia vel firmitas actus in *falsum* assensum.

I. Falsitas *formaliter* inspecta in iudicio *positivo* admittit gradus:

Prob. 1. *Ex natura falsitatis positivae*; est enim difformitas mentis ab obiecto per terminum aliquem positivum. *Atqui* hic terminus potest plus vel minus distare a vero e. g. Petrus est irrationalis et Petrus est aegrotus. Ergo . . .

(2. *Ex oppositione veri et falsi*: Verum et positive falsum contrarie opponuntur. *Atqui* contraria admittunt media. Ergo adsunt gradus.)

II. *Falsitas obiective spectata admittit gradus*:

Prob. 1. *Extensione*; nam possumus plura vel pauciora falso negare vel affirmare de eodem obiecto; unde plus vel minus recedimus a vero.

(2. *Intensive*; sicut enim cognitio verior est, quae conformis est obiecto in essentialibus, quam in accidentalibus, ita maior est difformitas in praedicatis essentialibus, quae nunquam de falso transire possunt in verum, minor in accidentalibus, quae, licet alio tempore, possunt transire in verum; e. g. Petrus nunc aegrotus potest alio tempore esse vel fuisse sanus.)

III. Falsitas *subiective* spectata admittit gradus, quo firmior est assensus falsus vel difficilior abiectio erroris: a) ratione luminis intellectualis, b) indolis, c) motivorum, d) circumstantiarum.

*Obi.*: 1. Veritas formaliter spectata non admittit gradus; ergo neque falsitas formaliter spectata — nego paritatem. Probo paritatem:

2. Inter verum et falsum est distinctio, sicut inter esse et non esse: dist.: si iudicia falsa sunt negativa — conc., si affirmativa — nego.

*Atqui* inter esse et non esse est oppositio contradictoria — conc.

Ergo etiam inter verum et falsum; dist.: si iudicia falsa sunt negativa — conc., alias — nego.

3. *Atqui* etiam in iudiciis falsis positivis est contradictio, quia includunt negativa; dist. formaliter — nego; virtualiter — conc.

**Caput II: De statu veritatis, sive de certitudine.**

## § 1. De natura certitudinis.

Licet obiectum intellectus sit veritas, mens tamen non semper eodem modo se habet ad veritatem. Potest enim 1. esse in statu *ignorantiae* vel totalis vel partialis respectu veritatis cognoscendae, et haec ignorantia vocatur *negativa*, i. e. simplex carentia cognitionis in subiecto non apto ad cognoscendum; est vero *privativa* in homine apto, qui deberet habere cognitionem.

2. *Dubitatio* est suspensio mentis inter contradictoria, et est *positiva*, si adsunt rationes, sed non convincentes pro utraque parte; *negativa*, si eiusmodi rationes non adsunt, et tunc recidit in ignorantiam.

3. *Opinio* est assensus in unam partem contradictoriam cum formidine erroris; et est *probabilis*, si rationes sufficientes adsunt, non vero convincentes; *improbabilis*, si insufficientes sunt rationes.

Unde opinio potest esse formaliter vera, i. e. rationibus bene fundata, et tamen materialiter, i. e. in se falsa; et formaliter falsa, materialiter tamen vera. Eiusmodi opiniones, excepta forte mathematica, in omnibus fere scientiis habentur, e. g. in scientiis naturalibus (opinio de aethere, de uno fluido electrico), in historia, praesertim in scientia morali, et saepissime in vita communi, quando certitudo haberi non potest, e. g. agricolae tempus laboribus suis aptum iudicantes ex signis coeli, barometro etc. observatis.)

Opinio igitur admittit gradus, non vero, quamvis augeatur, unquam fit certitudo proprie dicta; (non excludit, licet probabilissima sit, oppositam sententiam in se probabilem.)

4. *Certitudo est firma mentis adhaesio ad unam partem contradictoriam.* Hic status mentis in philosophia praecipue attenditur, unde eius naturam, species, existentiam investigamus. Certitudo igitur supponit: a) veritatem aliquam motivis evidentibus propositam, quae mentis assensum ex se determinare valeat et oppositum excludat; haec certitudo vocatur *obiectiva*, et hoc modo distinguitur a dubio, in quo veritas nulla apparet; b) requirit insuper firmum mentis assensum in veritatem cognitam, qui assensus vocatur certitudo *subiectiva*; hoc modo certitudo differt ab opinione, quae quidem assensum includit, sed infirmum; c) certitudo obiectiva et subiectiva simul constituunt certitudinem *formalem*, de qua nobis sermo est. (Certitudo per se quidem primum menti tribuitur: ego sum certus de hac re; secundo loco autem et per analogiam etiam veritati obiectivae convenit, quia haec est causa certitudinis nostrae.)

5. *Evidentia*: Cum certudine intime cohaeret *evidentia*, quae est *clara rei manifestatio seu apparentia*. Haec per se primum ipsi veritati convenit: hoc est evidens, non: ego sum evidens; et vocatur evidentia *obiectiva*; secundo loco autem et per analogiam etiam cognitioni nostrae tribuitur, et tunc vocatur evidentia *subiectiva*, quae est *clara rei in se evidentis perceptio*, producta per rei claram manifestationem. (Haec est igitur inter certitudinem et evidentiam relatio, ut certitudo obiectiva, i. e. rei necessitas in se gignat evidentiam rei obiectivam, i. e. claram rei manifestationem, evidentia vero obiectiva producat evidentiam subiectivam, i. e. claram rei perceptionem et haec tandem efficiat certitudinem subiectivam, i. e. firmam mentis adhaesionem et excludat omnem erroris formidinem.)

*Thesis VIII: Certitudo formalis est assensus firmus mentis in veritatem, excludens oppositum et ex ipsius rei evidentia ortus.*

*St. qu.* Tria ergo probanda sunt: 1<sup>o</sup> assensum certum non posse esse nisi in verum, unde non potest esse coniunctus cum errore, ita ut si quando erravimus, assensus in errorem, etsi erat firmus, non tamen fuerit certus.

2<sup>o</sup> Assensus, ut sit certus, excludit oppositum et quidem eius possibilitatem, non solum probabilitatem; non requiritur quidem absoluta oppositi impossibilitas, metaphysica, intrinseca, quae est in materia necessaria, sed saltem extrinseca et hypothetica, i. e. excluditur possibilitas simultaneitatis oppositae sententiae, (non vero simultanea possibilitas, quae est in materia contingenti; sic Petrus potest hodie esse aegrotus et sanus, sed non simul. Neque requiritur nexus semper obiectivus vel essentialis vel saltem accidentalis inter subiectum et praedicatum propositionis, sed sufficit nexus logicus certus, qui praedicatum oppositum necessario excludat, sicut saepe fit in syllogismo hypothetico, modo tollente: Si adesset ignis, adesset fumus. Atqui fumus non adest. Ergo neque ignis adest.)

3<sup>o</sup> Denique assensus certus requirit, ut haec impossibilitas oppositi clare perspiciatur ac proinde omnis formido erroris pellatur. Sufficit autem, ut hoc actu ipso *exercito* cognoscatur; unde actus signatus, i. e. reflexus per se non requiritur ad formalem certitudinem *naturalem*; et de hac potissimum agitur, quia certitudo reflexa, scientifica eam supponit. Addendum est, agi in thesi non nisi de assensu naturali, non de actu fidei, qui supponit quidem cognitionem evidentem motivorum credibilitatis, sed in se non est assensus evidens.

Quodsi hae tres conditiones adsunt, certitudo habetur *formalis*.

I. *Assensus formaliter certus non potest esse nisi in veritatem.*

*Prob. 1. Ex natura certitudinis*: Certitudo formalis in eo consistit, ut mens subiective rei cognitae firmiter adhaereat et ipsa res clare sese menti manifestet. Atqui res clare sese menti manifestans necessario mentem sibi conformem reddit, (quia non potest alio modo mentem determinare atque ipsa est, neque mens utpote facultas necessaria potest alio modo determinationem recipere ac re vera adest. „Necesse est, ut libram ponderibus impositis deprimi, ita mentem cedere perspicuis“ (Cicero).) In conformitate autem mentis cum re consistit veritas logica. Ergo certitudo formalis necessario coniungitur cum veritate logica.

(2. *Ex statu perfecto mentis*: Certitudo est perfectus status mentis; nam veritate certo cognita mens requiescit. Atqui impossibile est, perfectum statum mentis cum falsitate coniungi; nam actus perfectus requirit obiectum perfectum; obiectum autem mentis est veritas ac proinde obiectum perfectum erit veritas perfecta, i. e. undique plena, non solum existimata. Ergo certitudo, quae est status perfectus mentis, supponit plenam veritatem.)

3. *Ex absurditate scepticismi*: Si certitudo formalis posset esse cum falsitate obiectiva, sequeretur: a) nunquam posse constare de

veritate vel errore, quia mens etiam in perfecto statu cognitionis posset errare; b) neque esse discrimen aut criterium inter verum et falsum, quia mens aequae tum vero tum falso ex se firmiter adhaerere posset. *Atqui* hoc induceret scepticismum et repugnat tum propriae conscientiae, tum persuasioni hominum. *Ergo* certus assensus non potest esse in se falsus.

*Obi.* 1. Homines saepe certum assensum praestant errori (e.g. solem terram circuire olim certo affirmabant); dist.: assensum obiective certum — nego; subiective certum, subd.: quin error vel dubium saltem obscure apprehendatur, si reflectunt in motiva — nego; ita ut simul obscuritatem aliquam vel dubium sentiant — conc.

2. *Atqui* si adest subiectiva certitudo, licet cum aliqua obscuritate, mens non dubitat de errore neque inquit in veritatem ac proinde nunquam constat de obiectiva certitudine; dist.: si posset esse sola subiectiva certitudo sine obiectiva in omnibus veritatibus — transeat; quum non possit esse nisi raro et quoad veritates reconditas; iterum dist.: ita tamen ut error successu temporis et maiore adhibita diligentia corrigi possit — conc.; ita ut error sit physice invincibilis — nego.

3. *Atqui* haec sola subiectiva certitudo potest esse in omnibus veritatibus; nam voluntas potest firmum assensum imperare; dist.: si adsunt rationes sufficientes — conc.; si non adsunt, subd.: potest imperare assensum probabilem — conc.; certum, iterum dist.: quin menti error aliquo modo saltem obscure appareat — nego; ita ut error saltem obscure percipiatur — conc.; impossibile enim est, verum et falsum eodem modo posse apparere et mentem determinare.

4. *Atqui* error firmiter illi adhaerentis nunquam corrigi potest; nam aut scit se errare, aut nescit; nego disiunctionem et addo: aut simul scit et nescit, i. e. *obscure* errorem sentit, aut scit se errare non posse.

*Atqui* si scit, non errat; dist.; si clare scit — conc., et tunc retorqueo argumentum; tunc enim adest assensus in veritatem; si nescit se errare, nunquam ad veritatem perveniet; dist.: si nullum dubium saltem obscurum adest — conc., sed nego suppositum sc. hoc fieri posse; si aliquid dubium adest, ita ut maiore adhibita diligentia tandem errorem detegat — nego.

*Ergo* error ille corrigi non potest — nego.

## II. *Assensus formaliter certus excludit possibilitatem contradictorii.*

Prob. 1. *Ex principio contradictionis*: Praenota, sufficere, ut possibilitas logica oppositi excludatur, non vero requiritur exclusio possibilitatis metaphysicae vel physicae vel moralis. — Si contradictorii possibilitas non excluderetur, illud adhuc possibile maneret et probabile, ac proinde posset esse verum. (Iam vero, ut probavimus, assensus certus requirit obiectivam veritatem; unde idem posset simul esse verum et non verum. *Atqui* hoc repugnat.) *Ergo* possibilitas contradictorii excluditur.

2. *Ex illatione immediata*: Formalis certitudo requirit motivum, quod ostendit rem aliquam veram esse ac proinde oppositum non esse verum. *Atqui* ad non esse non fit illatio, nisi a non posse. *Ergo* contradictorium debet esse impossibile.

3. *Ex natura certitudinis*: Certitudo formalis adest, quando veritas obiectiva tam manifeste apparet, ut mentem ad assensum necessitet. *Atqui* si veritas adest et determinat, non potest simul non adesse et non determinare. *Ergo* possibilitas simultaneitatis contradictorii excluditur.

*Obi.* 1. Si possibilitas contradictorii excludenda esset, non posset esse certitudo, nisi in rebus necessariis; dist.: si possibilitas absoluta seu interna semper excludenda esset (simultanea possibilitas) — conc., cum sufficiat, ut possibilitas extrinseca sive hypothetica sive logica (possibilitas simultaneitatis) excludatur — nego.

2. *Atqui* nulla possibilitas excludi potest; neque enim rerum naturam intimam cognoscimus; dist.: non satis eam saepe cognoscimus ad possibilitatem vel intrinsecam vel saltem extrinsecam excludendam — nego; non plene et adaequate cognoscimus, subd.: et hoc necessarium est ad aliquam certam cognitionem — nego; solius Dei est — conc. — *Ergo* tunc nulla posset esse certitudo in hominibus, si haec difficultas valeret.

3. *Atqui* sufficit summa probabilitas; dist.: ad certitudinem mere subiectivam — trans.; ad certitudinem formalem, subd.: in scientia theoretica — nego; in scientia practica (moralis): iterum dist.: si certitudo haberi non potest et agendum est, sufficit summa probabilitas per se sola — nego; adhibito principio reflexo (in dubio nulla est obligatio, sed valet libertas) — conc.

## III. *Certus assensus excludit omnem formidinem erroris, i. e. requirit evidentiam.*

Prob. 1. *Ex natura certitudinis*: (Evidentia est veritas ipsa obiectiva manifeste apparens et clare perspecta, ita ut necessitet intellectum ad assensum; haec vero necessitas non est caecus quidam instinctus, sed in eo est, ut veritas motivis proponatur cum veritate infallibiliter coniunctis, ita ut omnis formido erroris excludatur. *Atqui* certitudo formalis est firmus assensus excludens formidinem erroris, qui oritur ex veritate obiective certa et clare perspecta, est igitur effectus evidentiae. *Ergo* certitudo formalis semper requirit evidentiam.

2. *Ex natura veritatis perfectae*: Certitudo formalis consistit in perfecta cognitione ac proinde supponit perfectam veritatem. *Atqui* perfecta veritas tunc solum adest, si mens est conformis rei et haec conformitas clare cognoscitur. Iam vero haec conformitas non potest clare cognosci, nisi rationibus evidentibus ostendatur. *Ergo* certitudo formalis requirit evidentiam.

3. *Ex absurdis*: Assensus certus nisi cum evidentia esset coniunctus, esset assensus caecus, cuius rationem obiectivam reddere

non possumus, quemadmodum bruta ex instinctu quodam naturali opera sua exercent. *Atqui* assensus caecus: a) repugnat naturae et dignitati intellectus nostri, qui praecise ex perscrutatione naturae rerum obiectivae nomen accepit [intus-legere]<sup>1)</sup>; b) repugnat conscientiae nostrae, quae testatur, nos, quotiescunque certum praestamus assensum, non modo caeco, neque ex instinctu mere subiectivo iudicare, sed propter rationes obiectivas clare perspectas; nosque debere hoc modo iudicare, ne iudicium nostrum sit falsum vel saltem temerarium; c) repugnat persuasioni hominum, qui eum imprudentem, stultum vel temerarium habent, qui iudicet, priusquam veritatem rationibus evidentibus clare perspexerit ac proinde nequeat rationem reddere, cur sic iudicet. *Ergo* assensus certus requirit evidentiam.

*Obi.*: 1. Evidentia efficit assensum necessarium; dist.: vel physice vel logice necessarium — conc.; semper physice necessarium — nego.

*Atqui* est etiam assensus certus liber, i. e. non necessarius e. g. in Dei existentiam et revelationem; dist.: physice liber — conc.; logice liber — nego.

*Ergo* non omnis assensus certus est evidens — nego.

2. *Atqui* est assensus certus, qui non est logice evidens sc. actus fidei; dist.: non creditur propter evidentiam — conc.; nulla adest evidentia saltem logica (directa vel indirecta) in motivis credibilitatis (praeambulis fidei) — nego.

3. *Atqui* tunc fides esset caecus assensus; dist.: si voluntas non haberet rationem sufficientem ad actum fidei imperandum (sc. auctoritatem Dei revelantis infinitam) — conc.; cum adsit ratio sufficiens ad assensum fidei supra omnia firmum praestandum; subd.: si praestaretur assensus super omnia firmus ex evidentia naturali — trans.; cum praestetur propter auctoritatem Dei revelantis infinitam — nego.

I. *Scholion* de distinctione inter necessitatem physicam et logicam assensus.

1. Assensus intellectus potest determinari vel ab obiecto solo vel ab obiecto simul et voluntate. Determinatur ab obiecto solo, si obiectum in se tum clare apparet, ut intellectus non possit illud non videre, sicut oculus solem intuens non potest illum non videre. In hoc casu intellectus ad assensum *physice* necessitatur. Si enim tunc assensum cohibere posset, indifferens esset ad obiectum suum formale, quod impossibile est. Haec vero necessitas physica assentiendi adest in omni cognitione *immediata* per experientiam tum internam tum externam et in cognitione *immediata* intellectuali principiorum, quae sunt per se evidentia. Tunc enim intellectus videns subiectum simul videt praedicatum cum ipso vel physice vel metaphysice coniunctum ac proinde non potest non videre eorum identitatem. Idem dicendum est etiam de cognitione *mediata*, quae fit in materia necessaria e. g. mathematica; vel etiam in materia non necessaria, si conclusio fit syllogismo deductivo categorico; tunc enim conclusio *ontologica* continetur in praemissis, sicut pars in toto, unde mens apprehendens praemissas non potest

<sup>1)</sup> Idem dicit „ratio“ nominata a rationibus inquirendis.

non videre etiam conclusionem ontologicae seu metaphysice in ipsis contentam. Intellectus igitur et *logice* et *physice* necessitatur ad assensum, si identitas subiecti et praedicati ipsa *in se* apparet.

2. Si autem veritas, i. e. identitas subiecti et praedicati non *in se* apparet, sed in *signo suo* vel in aliquo cum ipsa intime coniuncto, adest quidem *logica* necessitas assentiendi, non autem physica: *logica* quidem, quia supponitur nexus saltem hypothetice necessarius inter rem eiusque signum, sicut inter arcum in coelo et pluviam; non autem *physica*; nam tunc solum adest physica necessitas assensus, si identitas subiecti et praedicati *ipsa per se* apparet et intellectum determinat. Intellectus enim ut facultas necessaria in tantum percipit, in quantum determinatur. *Atqui* si obiectum, i. e. veritas non in se, sed in *signo suo* apparet, tunc identitas subiecti et praedicati ipsa neque physice neque metaphysice intellectui apparet, ut eum determinet. *Ergo* tunc intellectus physice non necessitatur ad assensum, sed solum logice. Iam vero assensus mentis, qui est actus physicus, requirit etiam causam physicam. Unde cum obiectum ex se non sufficiat ad intellectum physice determinandum, voluntatis erit, assensum determinare. Erit igitur assensus *physice*, non autem *logice* liber, voluntas determinat *exercitium*, non *specificationem* actus.

3. Haec ergo voluntatis determinatio locum habet, quando res non in se apparet, sed vel in signo vel in effectu suo. Unde elucet, hanc cognitionem semper esse mediatam et fieri praesertim in syllogismo hypothetico, ubi ex effectu percepto ad causam non perceptam arguitur et in cognitione per auctoritatem, ubi res in se non visa in signo apparet testimonii. Neve dicas, assensum, si voluntate determinetur, fore tantum probabilem; nam in quantum requiritur determinatio voluntatis, ille assensus similis est assensui probabili, quem voluntas determinat; sed in quantum adest saltem *logica* necessitas assentiendi certusque nexus inter consequens et praemissas, essentialiter differt ab assensu mere probabili. Ratio autem, cur voluntatis determinatio requiratur, patet: In syllogismo enim hypothetico consequens affirmat identitatem subiecti et praedicati *in se*, in praemissis vero non apprehenditur identitas subiecti et praedicati *in se*, sed solum in *signo*. *Atqui* effectus requirit causam proportionatam ac proinde affirmatio illa identitatis in se requirit tanquam causam proportionatam apprehensionem identitatis in se. Apprehensio igitur identitatis in signo, quae fit in praemissis, non est causa sufficiens ad actum assensus in consequente *physice* ponendum. *Ergo* requiritur determinatio voluntatis. Neve obicias, tunc voluntatem sine ratione sufficiente determinare mentem ad consequens affirmandum, quia neque adesset evidentia neque necessitas consequentis. Sane concedendum est, non adesse evidentiam vel necessitatem *consequentis in se*, sed adest evidentia et necessitas *consequentiae* in praemissis, et haec sufficit, ad assensum rationabiliter praestandum (Cfr. S. Thom. Quaest. disp. de veritate XIV, 1; S. Theol. I, II<sup>ae</sup> qu. 17 a. 6; II, II<sup>ae</sup> qu. 1 et 2; porro in 3 Sent. dist. 23, qu. 2 ad 2, sol. I).

Accedit, quod quotiescunque eiusmodi determinatio voluntatis requiritur, de re aliqua agitur magnae utilitatis vel etiam necessitatis pro vita sociali, morali, religiosa. Itaque etiam bonum aliquod adest ut obiectum formale